DECRETA

Congregationis Generalis Decimæ nonæ.

Congregationis Generalis occaſio.

CUm diem ſupremum obiiſſet R.P. N. Aloyſius Centurionus 2. Octobr. ann. 1757. nondum expleto ſui regiminis biennio, ſtatimque ex relicta ab eo ſchedula renuntiatus eſſet Vicarius Generalis R. P. Joannes Antonius Timoni Procurator Generalis Societatis; iſque auditis PP. Aſſiſtentibus Congregationem Generalem indixiſſet in diem 8. Maji anni proximè ſe-

ſecuturi. Adfuerunt ea ipſa die Romæ omnes ferme Europæ Provinciales aut Vice-Provinciales & Electores, quibus acceſſerant duo ex Provincia Chilenſi, & unus ex Provincia Philippinarum. Deerat ſolummodò P. Provincialis Sardiniæ, qui poſtridie ſciebatur adventurus, itemque P. Wolffgangus Valvaſor Elector Auſtriæ, qui Laureti jam tum gravi morbo detinebatur, ibique die 27. hujus menſis obiit. Conſtabat etiam non potuiſſe Congregationem Provincialem haberi in Lithuania, unde ex illa Provincia ſolus aderat Vice-Provincialis. Itaque Congregationi factum initium.

I. *Act.* 1. 2. 3. *in MS.*

Electi Secretarius Electionis, Orator, Depu-

POſtridie verò cum declaratum eſſet Congregationem hanc de-

decimam nonam eſſe plenam ac legitimam, expenſis priùs dubiis quibuſdam quæ ad nonnullorum electiones pertinebant, ſuppletiſque omnibus defectibus, ſi qui forte in eas irrepſiſſent: electus eſt Secretarius Electionis P. Joannes Petrus Garnier Elector Lugdunenſis & Collegii Biſuntini Rector: deinde P. Alphonſus de Maniaco Elector Venetæ qui orationem ad PP. haberet eo die quo eligendus eſſet Generalis; Patri vero Philippo D'Elci Domus Romanæ Profeſſæ Vice-Præpoſito cura includendi Electores fuit demandata. Tum ad detrimenta cognoſcenda Deputati ſex ex ſingulis Aſſiſtentiis: ex Italica P. Hieronymus Ridolfi Provincialis Romanus; ex Gallica P. Claudius Dejame Provincialis Lugdunenſis; ex Germanica P. Georgius Hermann Provincialis Germaniæ *tati ad detrimenta, incluſor, Electionis Aſſiſtens.*

Superioris ; ex Hiſpanica P. Salvator Oſſorio Provincialis Caſtellanæ ; ex Luſitana P. Stanislaus Manſo Vice-Provincialis Luſitaniæ ; ex Polonica P. Franciſcus Koſminski Provincialis Poloniæ Majoris. Poſt hæc peractis nonnullis quæ ad Generalis electionem ſpectare videbantur, delectus eſt Electionis Aſſiſtens P. Laurentius Maſſonus Provincialis Mediolanenſis.

II. *Act.* 4. *in MS.*

Electio Præpoſiti Generalis.

DIe 21. Maji SSmæ Trinitati ſacra, quæ jam ante fuerat huic actui præfinita, ſervatis omnibus, quæ in Formula ex decretis & Conſtitutionibus noſtris præſcribuntur: (cum ex omnibus Electoribus Romæ degentibus ſolus P. Mauritius Solari graviſſimâ ægritudine impeditus, qui etiam ali-

aliquantò poſt obiit, ſuo ſuffragio ferendo impar fuiſſet) ſecundo ſcrutinio, ac longe pluribus medietate ſuffragiis electus eſt in Præpoſitum Generalem R.P. Laurentius Ricci, Florentinus, antea Societatis Secretarius. Protinuſque confectum ſuper hoc a P. Vicario Decretum, ac promulgatum.

III. *Act. 5. in MS.*

Electiones variæ.

COnſtitutus Congregationis Secretarius qui hactenus fuerat Electionis, P. Joannes Petrus Garnier; additique ſunt illi Socii P. Romualdus Rota Elector Venetæ, Collegii Mantuani Rector, & P. Ignatius Rhomberg Elector Germaniæ Superioris. Tum ad poſtulata ſecernenda ſex deputati: ex Italia P. Marcellus Tipa Provincialis Siculæ; ex Gal-

lia P. Matthæus Jo. Joſeph Allanic Vice-Provincialis Franciæ; ex Germania P. Ignatius Langetl Provincialis Auſtriæ; ex Hiſpania P. Joſeph Velaſco Provincialis Toletanæ, ex Luſitania Pater Aloyſius Da Sylva Elector Luſitanæ, ex Polonia P. Adalbertus Byſtrzonowski Vice-Provincialis Poloniæ Minoris.

IV. *Act. 6. in MS.*

Electio Aſſiſtentium, & Admonitoris.

Die 28. Maji, & quatridui capiendis informationibus ultimâ electi ſunt Aſſiſtentes ſecretis ſcrutiniis & ad plura medietate ſuffragia, pro Italia P. Veſpaſianus Trigona, pro Germania P. Balthaſar Lindner, pro Gallia P. Ludovicus Franciſcus Le Gallic; tres iſti nuper eodem munere functi, primo ſcrutinio electi, pro Hiſpania vero ſecundo

do ſcrutinio electus P. Salvator Oſſorio Provincialis Caſtellanæ; demum pro Luſitania P. Joannes de Guſmaõ, & pro Polonia Pater Andreas Wagner, uterque primo ſcrutinio, uterque eodem munere nuper functus. Ita electi Aſſiſtentes ante Imaginem Crucifixi juramentum dixere verbis ex Formula conceptis.

Eodem modo appellatus eſt Admonitor P. Petrus de Ceſpedes, qui prius Aſſiſtens Hiſpaniæ erat.

V. *Act.* 7. *&* 8. *in MS.*

Facultas ut Procurator Generalis ſit Profeſſus.

CUm eligendus eſſet à R.P.N. Procurator Generalis Societatis, nec occurreret ipſi ex iis qui Profeſſi non ſunt, qui huic muneri videretur idoneus; rogavit, ſibi ut Profeſſum 4. Vot. eligere liceret. Atque exemplo

Congr. XII. XVII. & XVIII. annuendum omnes cenſuere. At cum dubitatum eſſet an novo Procuratori Generali ſubſtitui poſſet alius pariter Profeſſus, declaravit Congregatio facultatem R. P. N. datam, non pro hac vice tantùm, ſed pro quocumque ſimili caſu, donec alia Congregatio Generalis habeatur, valituram.

VI. *Act.* 8. *&* 9. *in MS.*

Aſſiſtentes poſt mortem Generalis juramentum non præſtant.

CUm nuper contigiſſet Aſſiſtentem unum & alterum a R. P. N. nominatum & approbatum a Provincialibus ante ipſius P. N. mortem, non potuiſſe præſtare ſolitum juramentum, demortuo interim R. P. N. nemini quidem dubium fuit quin illi verè Aſſiſtentes eſſent: an verò juramentum aliquod ab eis eſſet emit-

emittendum, de hoc nonnihil dubitatum fuerat. Declaravit Congregatio ab Aſſiſtentibus in tali caſu ſubrogatis, ſalvo integro ipſorum jure, nullum juramentum emitti oportere.

VII. *Act. 9. in MS.*

Domus Profeſſa conſervanda, ac in Reſidentias non facile mutanda.

CUm poſtulaſſet a R. P. N. Provincia quædam ut liceret Domum Profeſſam propter belli calamitates eleemoſynis penitus deſtitutam in Reſidentiam commutare, quæ idoneos reditus ad alendos ſocios habere poſſet; delatum eſt ad ipſam Congregationem hoc Poſtulatum, utpote graviſſimum. Cenſuit Congregatio fovendas, & quoad fieri poſſit conſervandas Domos profeſſas; & huic poſtulato ægre admodum a R. P. N. eſſe annuendum; nec talem mutationem, niſi

niſi poſt tentata nequicquam alia media, & in ſolo caſu graviſſimæ neceſſitatis, permittendam.

VIII. *Act.* 10. *in MS.*

Impediti judicati ad Congregationem de aliorum impedimentis non judicant.

QUæſitum fuerat a Provincia Sardiniæ, utrum qui ceſſerunt juri ſuffragii in Congregatione Provinciali ob impedimenta judicata & approbata, poſſint iterum admitti ad Conſultationem, in qua agitur de impedimentis aliorum, ſubrogatis jam ſubſtitutis? Reſponſum a Congregatione, non eſſe admittendos.

IX. *Act.* 10. 11. *&* 12. *in MS.*

Pro autentica Superiórum renuntiatione Provinciarum praxis ſervanda.

CUm a Congregatione quæſitum eſſet in quo conſiſtat authentica renuntiatio Superiorum, præſertim quando Superior deſignatus abeſt a Domo cui præfici-

ficitur: cenſuit Congregatio inhærendum eſſe judicio PP. Deputatorum, qui retulerunt ſibi videri, ſua cuique Provinciæ praxi relictâ, de cætero pro caſibus tam Ordinariis, quam extraordinariis, tum etiam tranſmarinis, ſatis proviſum eſſe per Decreta 43. Congregationis VIII., 10. Congr. IX., & 7. Congr. XVII.

X. *Act.* 10. 11. *&* 12. *in MS.*

Dubium aliud de duratione regiminis ſolvitur.

CUm acciderit nuper ut Rector Collegii triennium ſuum expleverit eo die quo R. P. N. vivere deſiit: quærebatur, an poſt vulgatam ejus mortem, imo poſt indictam Congregationem Generalem Rector novus per patentes literas ante mortem P. N. datas, an verò prior jure regiminis & adeundæ Congregationis Provincialis gauderet? Cenſuit Con-

Congregatio juxta judicium PP. Deputatorum æquius eſſe, & magis ex mente Decreti 30. Congr. XII., ut prior non cenſeatur expleviſſe ſuum triennium. Quod extendendum eſt etiam ad Provinciales.

XI. *Act.* 11. & 12. *in MS.*

QUoniam a pluribus multa propoſita fuerant, quæ ad promovendum in Noſtris regularis obſervantiæ ac Religioſæ perfectionis ſtudium magnam ſane habere vim videbantur: Congregatio ſatius duxit, eximio in hac re omnium zelo non novis Decretis condendis, ſed eorum quæ jam conſtituta ſunt executionem urgendo, ſatisfacere. Quare laudabile exemplum ſecuta Congregationis XVIII., cujus & Decretum 22. confirmat ac renovat.

vat. Provinciales atque omnes cujuſcumque loci ſuperiores iterùm atque iterùm monet, ut curam omnem atque operam in eo collocent, ut ſui ſubditi ea omnia quæ ad ſpiritum excolendum nobis præſcripta ſunt, reipsà exequantur, atque opere compleant.

Sæpius eos edoceant ſolidarum virtutum ac perfectionis ſtudium rebus omnibus anteferendum, hoc præ cæteris omnibus rebus a Societate maximi fieri, *in eoque majus momentum, quam in doctrina vel aliis donis naturalibus & humanis conſtitutum eſſe*.

Hoc ſæpe inculcent, bonum Societatis ſtatum huic rerum ſpiritualium ſtudio totum inniti. Nam ſi forte, Deo ita permittente, placeat (quæ adoranda conſiliorum ejus ratio eſt) ut adverſis exerceamur: Deus adhærentes ſibi, atque intimè conjunctos non

non deſeret, & quandiu puramente ac ſincero corde ad eum confugere poterimus: nullum aliud deerit nobis præſidium.

Meminerint denique Religioſi Ordinis præſtantiam non in eo poſitam eſſe, ut optimis legibus atque inſtitutis abundet; ſed in eo, ut uſu ipſo vita omnis ac mores ad legum normam exigantur. Quamobrem illud ſemper Superiores omnes cogitent, ex eorum vigilantia pendere Societatis decus ac famam, nullo unquam caſu, nullo infortunio obſcurandam, ſi pro ſui muneris ratione ipſi contendent, ut quæ ſapientiſſimè in ea ac ſanctiſſimè conſtituta ſunt, omnes fideliter exequantur.

XII. *Act.* 13. *in MS.*

ABſolutis omnibus negotiis, pluribuſque aliis ordinatis, ac

ac R. P. N. impensè commendatis; atque hoc imprimis ut futuro Pontifici, ſuo etiam nomine, totius Societatis obedientiam ſponderet: cenſuere Patres finem Congregationis imponendum; item committendum R. P. N. & PP. Aſſiſtentibus ac P. Secretario Societatis, ut Acta omnia ac Decreta ex iis extrahenda recognoſcerent, & approbarent. Itaque R. P. N. felicem reditum in Provincias cunctis precatus, illos ad pacem, concordiam, modeſtiam, pietatem ubique fovendam ac promovendam vehementer eſt adhortatus. Tum oravit ut mittendis ſibi informationibus quam rectiſſimis ac veriſſimis ſe ad gubernandam Societatem adjuvarent. Gratiis denique de more Deo peractis, inter mutua Religioſæ charitatis officia ſoluta eſt hæc Congregatio XIX. habita Ro-

mæ

mæ a die 8. Maji anni 1758. uſque ad diem 18. Junii ejuſdem anni,

---

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſt. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.
Fr. Vincentius Elena Rm̃i P. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Soc. Ord. Præd.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PROPOSITIO